

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis  
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Admodum Reverendo, Pererudito, vnerabili, & spectabili Dn. D. Christiano Jssenberg/ Rectori Parochiæ in Heimersheim vigilantissimo,  
Christianitatis Arcuensis Camerario dignissimo, Domino, & Patrono ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**



ADMODUM REVERENDO,  
Pererudito, venerabili, & spectabili Dn.

# D. CHRISTIANO

Issenberg, Rectori Parochiæ in Helmersheim vigilan-  
tissimo, Christianitatis Arcuensis Camerario dignissimo,  
Domino, & Patrono suo optimo, obser-  
vandissimo D.D.D.

Fr. Ioannes Freylinck Ord. Pred.  
sacrae Theologie Magister.



Cripturas selectas, & pias in dominicam Passio-  
nem commentationes Speranza fero, & offero,  
admodum Reverende, pererudite, & venerabilis  
Domini autoris si forte haetenus ignoti, notus ta-  
men ipse, quantum qui alteri est intimus, esse so-  
let. Sed quare talem ego Tibi autorem? Quod  
Italis, & Hispanis Speranza hoc Spes Latinis dicitur. Incitamento  
mihi ea Libri hujus nomenclatura fuit, ut illum Tibi inscriberem,  
ut de quo magnam spem, non heri, aut nudiustertius primùm, sed  
ab eo tempore, quo familiariter uti cœpi, concepi, fore ut illo ad pa-  
scendum gregem, qui datus est Tibi (Ierem. 13.2.) ad imbuendum  
omni pietate pecus inclytum tuum (ibid.) ad inflammandum Dei  
amore animas hominum Tuæ curæ commendatorum gnaviter,  
impigrè, strenuè, atque indefatigè utaris. Quid ni haec, & iis mul-  
tò etiam majora expectem, cum & Liber iste non solum pinguis  
ad spiritualem alimoniā, ac laginam pascua, sed & acres ad pietati-  
s, omnisque virtutis studium aculeos, & ardentissimos ad inflam-  
manda pectora ignes affatim, abundeque offerat, & haec Te

§ 2 quem-

quemadmodum unicè oblectat, ita perpetuò sollicitet cogitatio, ut gregi Tuo pabulum vitæ, quod est verbum Dei [Deut 8. 3. Matt. 4. 4.] pleno sinu affundas, sobrieque, & piè, & justè vivere doceas, ac flagrantium prædicationum igne inflammes, quem Dominus *venit mittere in terram, & vult ut accendatur.* Luc. 12. 49. Huc Tibi profectò commodus, huc peropportunus, & optatissimus veniet Speranza, subministrans Puncta, quibus punctum extimulare ad religiosæ Orationis studium, & cæsim obtruncare, vel demeterem possis, quæcunque tam salutari, tam necessariæ, & divinæ operæ esse impedimento solent. *Omne tulit punctum, qui miserit utile dulci.* Id profanus Poëta Horatius olim canebat. Quod si ita est, certè Punctorum horum Autor punctum omne tulit, quando has de Oratione, ejusque efficacitate, adjumentis, in pedimentis Selectas Scripturas, & flagrantium affectuum plenissimas in Christi Domini Passionem Observationes clucubravit, & avidè cupienti Mundo dedit. Neget esse utile, quod hisce immortalibus præclari ingenij sui monumentis, stylo neque sordido, aut prorsum neglecto, neque cincinnato, & affectatè culto expressum reliquit, qui nescit, quod *Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solarium, diabolo supplicium.* Ita S. Augustinus ad Probat. Neget, qui ignorat, quod *Oratio est corporum robur, abundantia dominus, recta legum, ac juris in civitate constitutio, regni vires, belli trophyum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio, virginitatis sigillum, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agriculturarum fertilitas, navigantium salus, ejusdem cum Angelis honoris conditio, praesentium fructus, futurorum representatio.* Ita S. Gregorius Nyssenus lib. de Oratione. Neget, qui non novit, quod *magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugii locus, &c.* (ita S. Chrysostomus homil. 30. in Genesim) & quidem *arma, quæ plus possint, quam omnes e terrena Regum, & turba militum,* quod S. Ambrosius serm. de Eliteo affirmit, & illius prophetæ illustri exemplo confirmat. Neget, quem latet, quod Oratio tantum apud Deum gratiâ valet, ut Christus erubuerit & confusus fuerit, vel confessus sui confortum illi apud Matthæum pro filiis obsecranti matri negare, quod idem S. Ambrosius lib. 5. de fide c. 2. lusculentis verbis exerte ait. Neget demum, quem præterit, quod

ha

hæ tum *Selectæ Scripturæ*, tum in *Christi Passionem observationes*  
tam inhianter Orbis Christiani votis fuerint expeditæ, ut nullis ty-  
pis satis evulgari potuerint, & jam sexies, ni & saepius, prælo sub-  
missæ fuerint, ut vel mitigarent nonnihil expetentium famem,  
quæ nullâ librorum copiâ extaturari posse videtur. Ne ex epistolâ  
volumen prolixitas faciat, nihil huc adscribam de Indicum nu-  
mero, & artificio, nisi quod id tale est, ut ad omnes cuiuscunq[ue] ge-  
neris Orationes lacras & magno, & prompto ului esse queant, sive  
quis ad bonos mores adducere, sive abducere ab improbabâ vitâ  
conluctudine, sive ignavos excitare, sive expeditos magis incitare  
auditores velit. Iam si quis mixtum utili dulce in suavissimis illis  
in Dominicam Passionem Observationibus non percipit, nœ is pa-  
lato ægerrimè est affecto, & omni spiritualis saporis gustu destitu-  
tus. Abraham tot seculis Christo homine anterior, tantam hau-  
sit ex futurâ illius passione dulcedinem, ut gaudio exultaret,  
( quod est apud S. Ioannem 8. 56. ) cùm diem, quo pro  
expiando mundi scelere victimâ immolandus esset Christus,  
prævidit in illo inter vetpres cornibus hærente ariete, Gen. 22. 13.  
Et S. Bernardus, qui gustavit, quantum nescio an post Virgi-  
nem Matrem quispiam alius, quam suavis est Christus passus,  
*proditus, venditus à discipulo, à iudeis tanquam vile manci-*  
*piū pretio satis exiguo comparatus, captus, tractus, ligatus &c.*  
Serm. 2. in Cœnâ Domini sic ait: *Hoc est celeberrimum, &*  
*regale convivium, in quo justi epulantur, & exultant in conspe-*  
*citu Dei, & delestantur in letitia.* At cùm omnis univer-  
sim oratio recte instituta id habeat, ut & utilitatem  
pariat, & voluptatem suis cultoribus adferat una ta-  
men ea ceteris omnibus longè antecellit, quam S.P.N.  
Dominicus ex Oratione Dominicâ, & salutatione An-  
gelicâ contexuit, & in novi formam Psalterij conflavit,  
Rosariumque dixit, ad cuius precarios globulos si quis  
vitæ Christi, & Mariæ mysteria piis meditationibus  
devotè recenseat, mirum quanta hinc in religiosi Psal-  
tæ animum & utilitas, & suavitas redundet! quam &  
ille veteris Psalterij adornator Rex pœnitens subolfe-

§ 3 . . . . . cisse

fecisse videtur, cùm Ps. 22. ajebat: *Virgatua, & baculus  
tuus ipsa me consolata sunt!* quod non obscurè indicat  
ignotus quidam, sed minimè ignobilis autor epistolæ  
ad amicum ægrotum de viro perfecto to. 2. Op. S. Hiero-  
nimi, dum illa Davidica verba hac paraphrasi illu-  
strat: *Virga Mater est Domini, ex qua baculus iste fesso jam  
per etatem mundo exiit.* Tum verò, ut exponat, quæ com-  
moda, quæve solatia ex virgâ illâ, & baculo vel David  
habuerit, vel quisquis alias habere possit, velut per  
singula vitæ Christi, ac Rosarii mysteria discurrens  
subjungit: *Illum ergo in uterum Virginis delapsum (ut re-  
demptionis nostræ totam historiam retexamus) partu effectum  
hominem se exhibuisse pro homine, & creaturam suam se de  
Creatore fecisse, illum formam servi accepisse, sed se exinanisse  
potestatis voluntate, non naturâ Deitatis, per quam non  
poterat non esse, quod fuerat: Illum maledicta pro salutaribus  
meruisse miraculis: Illum spuma, illum palmas, illum coronam  
spineam, illum postremo crucem fuisse perpessum, illum inferna  
penetrasse: Illum tertiam die resurrexisse in id corpus, quod cruci  
fuerat affixum, illum hominem post mortem Deum vivum cœ-  
lum petuisse victorem, sedere ad dexteram Dei, venturum suo  
tempore adjudicium faciendum, illum Spiritu Dei per Sancto-  
rum ora quotidie celebrari, hæc cogitasse, vixisse est, hæc cogita-  
tio pastus animæ est.* Eccetalis orationis emolumenta.  
Cujus voluptatem, suavitatemque præterea indicare  
volens, subdit: *Quem talis cogitatio, putâ vitæ Redem-  
ptoris mysteriorum jam jam enumeratorum, non cum  
admiratione delectet?* Sed inveni quendam Tuum co-  
gnominem, qui Tibi singularem apertissimè narrabit  
hujus

hujus sacro sanctæ Rosario-Marianæ orationis utilitatem, quæ faciet, credo, ut eandem deinceps non ipsius tantum frequentare ames, sed etiam Tuis effictim commendes precandi formam. Delitium magnæ Dei Matris, & sponsus illius B. Alanus de Rupe Redivivi operis sui c. 15. num. 8. in hanc ita habet: *Utinam Plebani facilem hanc pietatem, rudique vulgo NB. permodam, parochianis inculcatam per vulgarent, alium pecoris sui vultum, morumque faciem essent aspecturi.* Quod in regno Dacie quidam nomine Christianus, animarum Curio celebris expertus didicit, & libenter sepiùs commemorare solebat. Exercui ipse, ajebat, meque exercuit prædicandi officium pastorale. Diversas omnis argumenti materias, genera que dicendi in medium proposui, ad omnem modum illas, formamque orationis versavi, nulla earum rerum parte omissa, qua ad docendum, movendumque mihi facturæ videbantur. Sed in ventum omnia, ajunt, & maris in undas serebam. Demum postquam multi & anni steriles mihi cederent, & labores perirent inanes, & vires adhæbescerent labentis ætatis, nec fructus inter subditos ullus responderet, illud experiri statuebam argumentum prædicandi, quod isthuc usque adeò negligebam, ut vixdum in postremis ponerem. Orationes NB alias quidem persepe suaseram, at Psalterij orationem nunquam, ut nec cathedra mea dignam, aut parem eam estimarem. Psalterium denique commendare instituo, almae Virginis Matris Marie patrocinium in vota per illud vocandum, prædico, seriūs aut citius actæ uitæ supremum periculum, & exactæ judicium instare cuique de nuntio, nihil hac salutarius Oratione Dominica, & Angelica salutatione, nihilque usurpatu facilius excogitari posse peranti-

qua

qua illa ad Psalterium Christi , ac Mariæ pietate prædico.  
Capto insistebam, proposito, repeto, ingeroque idem, & sic annum  
occupo, dimidiatum affirmo, major inde animorum, morumque  
consecuta est mutatio, quam me videre unquam memini. Hæc  
vis ab usu Psalterij est. Sic ibi. Efficient hæc apud Te, (ni  
à paucō tempore plurimū occalluit Tuus animus)  
duo. Primum, ut quod à me non ita pridem Tibi sua-  
deri ceptum, ab hoc cognomine Christiano persuaderi  
finas tam & facilis, & fructuosæ exhortationis arripi-  
endæ consilium. Alterum, ut Speranzam hoc etiam  
nomine habeas gratiore, quod tam multa passim sug-  
geret, quæ ad Mariani Rosarij mysteria explicanda, &  
commendanda facient, ut vix alia desiderare queas. Ju-  
vabunt, neque parum, notulæ marginales, quibus to-  
tum Opus hoc conspersi, ut facilius invenias, quidquid  
in usus Tuos ex eo sublegere voles. Per opellam verò,  
quantulamcumque illam hac in re collocavi, fas mihi  
arbitratus sum consecrare Librum, cui vellem, per be-  
neficia verò, quibus me æstate præteritâ arctissimè, in-  
solubiliterq; devinxisti, aliud facere non debui, quam  
ut hanc proximam contestandæ meæ erga Te gratitu-  
dinis occasionem arriperem, & oblato Speranza spera-  
re ampliorem à Deo remunerationem obtestarer. Ita  
quesicage, perdiuque optimè & vale, & vive, & me, à  
quo amaris, constanter dilige. Coloniæ ex nostro

Conventus S. Crucis FF. Prædicatorum  
mūsæolo M. DC. LIX. III. Calendas  
Martii.

DE VER-